



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 63. Actum de parvulorum baptismo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

*Actum de parvulorum baptismo.*

Sub idem ferme tempus quæstio de parvulorum baptismo ingenti animorum contentione utrinque agitabatur; hunc enim Pinczovienses rejiciebant, affirmantes, quod sacræ literæ in ipsorum sensu explicatæ hac de re nullam mentionem facerent: e contrario adulterini reformati hunc baptismum esse necessarium contendebant, eoquod id per traditionem ab Apostolorum ævo usque ad nostra tempora continuatam confirmetur, nec sacris literis adversum esse probetur. Ceterum primi, qui Baptisma parvulorum impugnabant, erant Cuiavienses, & Brestientes Ariani, pluresque in Lithuania Ecclesiæ: priusquam tamen adversus hunc fidei articulum universalis excitata fuerat seditio, jamjam Farnovius, & Visnovius adultos, qui in sua infantia sacro fonte tincti erant rursus baptizare incæperant: porro hæc innovatio attribuebatur Gonesio, qui anno abhinc millesimo quingentesimo sexagesimo secundo librum contra infantum Baptisma ediderat: insuper eadem sententia imputabatur Petro Pulchranio Germano Biehanensis Collegii in Lublinensi Provincia Rectori, & Pac-

*Hist. Eccles. Tom. XLVII. li lesio,*

**Sæcul. XVI.** lesio, Matthiæ Albino Iranoviensi Mi-  
**A.C. 1565.** nistro, Hieronymo Pirckarfio, & Mar-  
 tino Czechovio, qui postremus adeo  
 dextre Cuiavienses ad sua studia in-  
 flectebat, ut hi non nisi adultis Baptis-  
 ma conferri permetterent.

§. LXIV.

*Bresvicensis, & Wengroviensis Sy-  
 nodus circa eandem quæstionem.*

*Lublenies.*  
*l. c.*

Jamjam anno Christi millesimo quin-  
 gentesimo quinquagesimo nono Si-  
 mon Zacius Prossевичius Vilnensis Ec-  
 clesiæ Senior fidei formulam vulgabat  
 adversus Baptismum parvulorum: inde  
 vero accerrimæ oriebantur altercatio-  
 nes inter Czechovium, Nicolaum Wan-  
 drogovium & Paulum Lithuanicarum  
 Ecclesiarum Superintendentem; hic  
 enim infantum Baptisma propugnabat,  
 primi autem duo eidem adversabantur:  
 ut ergo inter eos concordia reddere-  
 tur, anno Domini millesimo quingen-  
 tesimo sexagesimo quinto Bresvicii Sy-  
 nodus indicebatur, ad quam triginta  
 duo Ministelli confluerant, irrito ta-  
 men successu; quippe a copioso horum nu-  
 mero nec litigantibus silentium imponi,  
 nec duorum Anabaptistarum petulan-  
 tia reprimi potuit: quapropter hoc ne-  
 gotium ad aliam Synodum remitteba-  
 tur, quæ etiam die vigesima quinta  
 Decem-